

(2) Montes operati vitibus, populi depingunt fecunditatem.

(3) Cedrorum proceritas ac decor itidem commendant reip. eminentiam ac incrementa admiranda. Conf. Hof. XIV, 6.

USUS E VERSU XII.

(1) Extensio potestatis licet à politicis observetur studiosè, non tamen semper est in laude. Quod DEus suo concessit populo, non excusat ambitiosorum cupiditates, aliena appetentes, terminos mutantes antiquos, &c. Deut. XIX, 14. XXVII, 17. Prov. XXII, 28. &c.

(2) Inter cætera aquarum, fluminum mariumque commoda reponendum & hoc, quod nationibus b. m. scripti sint regionum limites dati, nec turbationes adeò facile evenire queant, &c.

USUS E VERSU XIII.

[1] Cum DEo non est exoptulandum. Interim piis prohibitum non est, lament abilitate de miseriarum conquæri immensitate quodammodo inexplicabili. Alias desolationis ratio reddi potest facile ex Jes. V, 4.

[2] Diruptio maceriarum est defensionis cessatio, quando demonum hominumque injuriis aliquis exponitur, &c. id quod pæne loco maxima habetur meruò. De Jobi facultatumque ejus tutela, v. Job. I, 10.

[3] Exspoliatio, vel usurpatio rei aliena, vitium VII. præcept.

USUS E VERSU XIV.

(1) Homines non raro assimilantur brutis, apris & sylvestribus, per impudentiam, rapacitatem, &c. Ita Hostes ecclesie publici, tyranni, hæretici, &c.

(2) Qui serino vivit modo, serino etiam modo a venatore abripitur infernali: Psalm. XCI, 3.

(3) Uvæ non sunt pabulum ferarum: quid mirum, si per easdem capiantur pessumque eant? Sic homo videat, quo pascatur, & quomodo.

USUS E VERSU XV.

(1) Inspectio divina includit justam visorum examinationem decisionemque debitam. Hosce oculos reformidemus semper.

(2) Visitatio Dei fit vel ingratiâ, vel in irâ, hanc deprecemur, illam exoptemus.

(3) Visitans DEus imitandus à quibusvis vices Deigentibus, parentibus, magistratibus, episcopis, &c.

USUS E VERSU XVI.

(1) Dextræ DEi plantantis semper recordandum. Hæc uti bonum inchoavit, ita consummatio quoque ab eadem expectanda: 1. Corinth. I, 8. 9. Philipp. I, 6. 1. Thessal. V, 24.

(2) Preces nostræ meminisse imprimis debent Filii DEi mediatoris, propter quem unicum eadem placent: Daniel. IX, 17. Johann. XIV, 13. & qui vinea est Dominus.

(3) Filius DEi est Electus DEi, robore divino præditus, &c. Jes. XLIX, 1. Matth. XI, 27. XXVIII, 20. 18.

USUS E VERSU XVII.

(1) Ecclesia tanquam Vinea Dei, multa semper est experta in commoda, ignem, apros, feras, secures, &c. L. de ecclesia, non semper florente, secundum Papp,

(2) Increpatio divini vultus severa exprimit irati judicis judicia. Vide homo, ne eandem provocet temeritate incorrigibili.

(3) Perditio instat correptionis DEi negligentibus: B Genes. VI, 3.

USUS E VERSU XVIII.

(1) Manus DEi potentem præbet protectionem, defensionem, restaurationem, &c. Hanc imploremus; huic nos ac nostra committamus: Psalm. XXXI, 6.

(2) Vir dextræ DEi est Messias; est etiam certo modo Messie populus seu ecclesia. Quisque dispiciat, ut ad dextram huic aliquando sistatur: Matth. XXV, 33.

USUS E VERSU XIX.

(1) A DEo ejusque cultu & obsequio recedendum nunquam, neque in prosperis, neque adversis: non ad DEos novos, non ad mundi vanitates, demonum illicia, &c. Apostasia, Recidiva.

(2) DEus vivificat spiritualiter, naturaliter, civiliter, famam facultatesque restaurando, &c.

(3) Invocatio ad DEum solum dirigenda, non ad angelos, sanctosve ullos.

USUS E VERSU XX.

C Eadem quæ vers. 4.

PSALMI LXXXI. DISPOSITIO.

Ingratus populus. Canite, jurabo.

Est hic I. populi ad solemne gaudium excitatio: (1) cantate, clangite DEo, qui est robur nostrum, Jacobique DEus: v. 2. (2) adhibete psalmum, tympanum, citharam, nablium: v. 3. (3) clangite buccina in novilunio, &c. v. 4. Subjungitur ratio: (a) hoc ipsum in Israele est moris: (b) statutum DEi Jacobi v. 5. quod instituit, (c) dum exiret (tanquam judex atque vindex) contra Ægyptum: v. 6. ubi audiebatur lingua ignota, ibid. ubi humeri ab onere, & manus à canistris liberatæ: v. 7. ubi miraculosa planè clamantium liberatio, nec non ad aquas Meriba exploratio: v. 8.

II. DEi ipsius objurgatio: (1) alloquium: audi popule mi Israël, testificabor contra te. v. 9. (2) mandatum: non sit tecum DEus alic-

nus, non adores DEum peregrinum, v. 10. [3] Ratio: ego solus te eduxi ex Ægypto: v. 11. os tibi apertum me oppleturum promisi: ibid. (4) vitium: populus vocem meam audire noluit: nec me voluit: v. 12. (5) repudium dimisi vel expuli eos in cordis sui speculationibus: v. 13. ut propriis incederent consiliis: ibid.

III. Nova pollicitatio: (1) conditio: ò si populus meus Isr. me audiret, inque meis viis ambularet: v. 14. (2) Dei promittitudo: (a) brevè hostes ipsorum humiliarem: v. 15. (b) contra persecutores ipsorum extenderem manum meam: ibid. (c) os fores ipsorum illis subjicerem: v. 16. (d) longævitatem vel perennitatem concederem: ibid. (e) optimo tritico ac melle nutriverem: v. 17.

Nnn 3

PSAL.